

luunt. Nam Marcitæ profitentur verbis & incantationibus vinum, quod est in calice, & in cœna Domini se mutare in sanguinem, & gratiam Dei in eum ipsum calicem deducere, vt ex eo omnes vel gustare cupiant. Annotare libet Epiphanium voce *μετομοίως* ante Ioann. Damascen. vsum esse. Est autem Transsubstantiatio, quam vt prorsus ineptam hæreticis obiicit Epiphanius.

## CAP. XV.

Colarbasij, & eorum dogma.



*Colarbasus* <sup>2</sup> secutus est istos non multum aliter sentiens. *Vitam* <sup>2</sup> omnium hominum & generationem in septem syderibus consistere affirmans.

1 *Colarbasus.*) Colarbas & Colarbasus appellatur huius sectæ author, cuius meminit Irenæus lib. 1. cap. 9. & Tertull. & vterque cum Marco coniungit. Epiphanius tamen scribit eos non solum ex Valentinianorum, sed etiam superiorum hæreticorum schola profectos & sotos, ex qua tanquam ex hydra plura capita nata sunt. Theodoretus quoque libr. 1. horum meminit. fuit hæc hæresis eodem tempore, quo superior. Cùm autem pauca omnino de Colarbaso tradita sint, quis fuerit & vbi docuerit, obscurum hominẽ fuisse & statim sectam hanc concidisse verisimile est. In catalogo tamen retenta est, vt quàm variè à Satana vexata sit Ecclesia, & oppugnata doctrina Christi, intelligeretur.

2 *Vitam omnium.*) Vnum dogma eorum recenset Augustinus, quòd Astris, imprimis autem